



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

§. 27. SS. Pauli, & Barnabæ missio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

Sæculum I.
A. C. 42.

fit. Regina Mater ejus tres Pyramides, tribus stadiis a civitate distantes, posuit, quo ejus, filique Izatis ossa post eorum mortem allata sunt. Scripserunt aliqui eos omnino fuisse Christianos.

§. XXVII.

Missio Sauli & Barnabæ.

Oros. lib. 7.
c. 6.

Ejusdem famis tempore Antiocheni Fidelibus, qui in Judæa erant, multam opem tulere; & hæc est prima collecta ad subveniendum Fidelium necessitati facta, cujus ab exordio Ecclesiæ mentio fit; hæc Barnabæ, & Saulo concredita,

Act. 11. 25.

qui Ministerio suo functi, Jerosolyma Antiochiam reversi sunt, adducentes secum Joannem cognomine Marcum. Erant in Ecclesia Antiochena Prophetæ, & Doctores, inter quos Barnabas, Simon cognominatus Niger, Lucius Cyreneus, & Manahen Herodis Tetrarchæ collactaneus. Cum jejunarent, & officio divino vacarent, ait ad eos Spiritus Sanctus: *Separate mihi Saulum, & Barnabam, ad opus, cui*

1. Tim. 4. 14.

Chrys. hom. 5
in 1. Tim.
init.

destinati sunt. Tunc jejunantes, & orantes imposuerunt eis manus, & dimiserunt. Tales tunc temporis erant Ministrorum publicorum in Ecclesia ordinationes; sæpe fiebant ex revelatione, & expresso Dei mandato; semper conjunctæ cum jejunio,

junio, sacro Sacrificio, & aliis precibus, Gratia autem per impositionem manuum conferebatur.

Saulus, & Barnabas missione a Spiritu S. accepta, Seleuciam venerunt, inde in Cyprum cum Joanne Marco, & Salaminam prædicantes verbum Dei in Synagogis Judæorum. Circa hoc tempus, hoc est annum secundum Claudii Imperatoris, Jesu Christi 42 Saulus in tertium Cælum raptus est, hoc est in Paradisum, sive cum corpore, sive tantum in Spiritu, audivitque secreta, quæ non licet homini loqui.

§. XXVIII.

Epistola prima S. Petri. Marci Evangelium.

Interea S. Petrus Romæ erat, unde primam suam epistolam scripsit, directam ad Fideles a Judaismo conversos, qui per Pontum, Galatiam, Cappadociam, minorem Asiam, & Bythiniam, ubi quarundam Ecclesiarum ipse fundamenta jecerat, erant dispersi. In hac Epistola Romam Babylonis nomine denotat, nempe Imperii simul, & Idololatriæ sedem. Hortatur Fideles, ut se invicem salutent osculo sancto, hoc est, osculo puritatis, & sinceritatis. Fuit vel descripta, vel translata a S. Marco charissimo ejus Discipulo, quem

Sæculum I.
A. C. 42.

2. Tim. I. 6.

Act. 13. 4.

2. Cor. 12. 2.

Athenag.

Apoc. p. 36.

1. Petr. 5. 13.